Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



lomonis est in manu serui sui achie
prophete reliqua autem uerborum ieroboam quomodo regnauit et quomodo pugnauit ecce scripta sunt in libro uerborum dierum regum israel. diebus autem quibus regnauit ieroboam. xxii. annis simul et dormiuit ieroboam cum patribus suis regnauit que nadab filius eius pro eo.
Porro roboam filius salomonis regnauit in iuda. xl. et unus annus erat roboam cum regnare cepisset. et v et viginti annis regnauit in hierusalem ciuitate quam elegit dominus ut poneret nomen suum ibi. ex omnibus tribubus israel. nomen autem matris eius naama ammanites et fecit iuda malum coram domino et irritauerunt eum super omnibus quae fecerant patres eorum. et inpeccatis suis que peccauerant edificauerunt enim et ipsi sibi aras. et statuas et lucos super omnem collem excelsum et subter omnem arborem frondosam. Sed et effeminati fuerunt in terra. fecerunt que omnes abominationes gentium quas abtriuit dominus ante faciem filiorum israel. Inquinto autem anno regis roboam. ascendit rex sesach. egypti in hierusalem et tulit thesauros domus domini. et thesauros regis. et uniuersa diripuit scuta quoque aurea que fecerat salomon. pro quibus fecit rex roboam scuta erea. et tradidit ea in manu ducis scutariorum. et eorum qui excubabant ante hostium domus regis. Cumque ingrederetur rex in domum dominum portabant ea qui pedisequi fuerant officium. et post ea reportabant eam ad armetarium scutariorum reliqua autem sermonum roboam et omnium que fecit ecce scripta sunt in libro uerborum dierum regum iuda. fuit que bellum inter roboam et ieroboam cunctis diebus. dormiuit itaque roboam cum patribus suis et sepultus est cum eis in ciuitate dauid. nomen autem matris eius naama ammanites et regnauit abia filius eius pro eo. XV
Igitur in octauo decimo anno regis ieroboam filii nabath regnauit abia super iudam. tribus annis regnauit in hierusalem. nomen matris eius maacha filia abessalon. ambulauit que in omnibus peccatis patris sui que fecerat ante eum nec erat cor eius perfectum cum domino deo suo. sicut cor dauid patris eius. sed propter dauid dedit dominus deus suus lucernam in hierusalem ut suscitaret filium eius post eum. et stauraret hierusalem. eo quod fecisset dauid rectum in oculis domini. non declinasset ab omnibus quae preceperat ei cunctis diebus uite sue excepto sermone urie cethaei. Attamen bellum fuit inter abiam et inter ieroboam omni tempore uite eius. reliqua autem sermonum abie et omnia que fecit nonne hec scripta sunt in libro uerborum dierum regum iuda. fuit que pelium inter abia et inter ieroboam et dormiuit abia cum patribus suis. et sepelierunt eum in ciuitate dauid. regnauit asa filius eius pro eo. In anno ergo. xx. ieroboam regis israel. regnauit rex asa iuda. et. xl. uno anno regnauit in hierusalem. nomen matris eius maacha filia abessalon. et fecit asa rectum ante conspectum domini sicut dauid pater eius. et abstulit effeminatos de terra purgauit que uniuersas sordes idolorum que fecerant patres eius insuper et maacham matrem suam amouit ne esset princeps in sacris priapi